

( Non sum mihi adeo ignotus, Cardinalis munere isto tuo, fama-  
amplissimi nominis dignissime, ut admodum referre putem, vernacula  
ne lingua in epistolis ad te dandis utar, an latina, in utraque jux-  
ta plane hospes, et qui possim peregrinitatis vel ab anu olitaria  
5 facile coargui neque adeo committam, ut ad te vulgari sermone scri-  
pta perferatur qualiscumque haec significatio pietatis, observantiae-  
que in te meae non vulgaris. Infantiam in me reprehendas potius quam  
audaciam, quasi minore te cultu prosequar, quam coli res augustae  
solent, et prope divinae. Harum quidem in censu te reponit praece-  
10 lens illa tua sapientia, doctrina, vitae innocentia, eâ ipsa dignita-  
tis purpurâ, qua merito refulges, sane major, cui cum ejusmodi huma-  
nitas accedat, ut vel ab aliis tuis virtutibus sejuncta mirificos  
in te hominum amores excitatura videatur, barbarus plane sim, te  
nisi suspiciam, venererque unice, praesertim tanto tibi beneficio  
15 obstrictus, quanti apud me est effusus auctoritatis tuae in me fav-  
or, atque animi propensio; nam ne judicii dicam, partim conscientia  
propriae inscitiae deterreor, partim eruditionis tuae cogitatione  
tot editis operis admirandi voluminibus nulli non testatae. Sic enim  
mecum ipse aliquando. En quo Virum id aetatis, dignitatisque perdu-  
20 xit gloriae de literis partae amplitudo, amorque in eadem sequentes  
studia, quae ipsi tam egregie cesserunt: tempus, quod nunquam illi  
vacat aut a sententiae in gravissimis rebus dictione, aut a commen-  
tatione, aut a scribendo, quae perditorum turbulentam contumaciam re-  
vincant maxime, in meis lucubrationibus communi excussis moneta per-  
25 legendis terit, et tantum sese demittit, ut de me, meorumque studio-  
rum ratione, meos sciscitetur: quid agam: quo stylum scriptionis ge-  
nere exerceam: cujusmodi lectionibus otium oblectem; quod Episcopo  
perexiguum contingere omnino, atque pene nullum ipse ex-  
pertus. Macte immortalitate digne Heros, et nos ad ejus radices spe-  
30 culae adhaerescents, cujus tu jam cacumen tenes, exemplo, facilita-  
teque ista tua excita; quae te et communi omnium praeconio in coelum

/ evehit maturius, et mihi pro sponsore est, ut impune tibi literarum Dictatori, cuique ab omnibus ingenii fascies submittuntur, per epistolam importunus obstrepam. Nam ex quo me Vir ornatissimus Athenarum Antistes, certiore fecit, te carminibus nostris, seu potius carminum argumento non indelectatum, nihil habui antiquius, quam illud nostrum, quod erat, lima expolire, quaecumque erat, ut aliquid in me esset, quod tibi, cui probari valde cuperem, non improberetur. Ut alia igitur omittam, a me non uno styli genere conscripta, e lituris in tuae spem gratiae haec pauca exemi: (nam de mendis sine Theseo qui possem?) quae censurae tuae libens, volensque nolenti licet animo submitterem, non quod, ut jussa tua capessam, monitore egeam, quibus nihil est mihi magis in optatis, sed quia in mentem venit subvereri, ne nostra diligentius tractata auctoris prodant imperiti- am: quam tamen obsequii studio defensam, obnoxiam minus fore censeo  
15 vitio subinanitatis, atque A cujus suspicione procul ut abessem, summa ope cavi ingenii mei foetus arcta nimis, ac plane il- liberali custodia hactenus coercens jure an secus tui erit judicii decernere, meque inter eos recensere, qui sese, et sua omnia in tuam fidem, atque clientelam dedunt demississime. Vale sacri Senatus decus,  
20 et verae Religionis tela omnia contra munimentum.

---

Aloysii Lollini epistolae. Belluni 1641.